

ducere. At vero hæc sententia instantia everti facili negotio poterit. Namque nec ulla domus per se & immediate fructus feret; cæterum si alicui locetur, suis non caret accessionibus; quas etiam conductor solvere tenetur. Pari modo pecunia recondita sterilis per se est; usui autem exposita foecundissima omnino evadit. Deinceps distinguo inter fructus naturales ac civiles. Prioris generis nullos pecunia profert, bene tamen posterioris. Parare enim ope pecuniæ res frugiferas possum, v.g. fundum, agrum atque id genus alia, quæ quotannis uberrimis me fructibus ditent atque adaugeant. Quare si certa pecuniæ summa agrum, aut fundum aliasque foecundas res pretio adæquet, perinde sane erit, sive ipse has res emam, fructusque quotannis hisce accedentes percipiam, sive alter, cui pecuniam ad emendum mutuo dederim, certum mihi pretium pro fructuum perceptione solvat. Longe autem feliciora sunt hæc pecuniæ augmenta sive accessiones in mercibus. Finge enim, te mercatori cuidam summam centum thalerorum mutuo dare, nonne hunc mercium emptione ac venditione majus longe lucrum percipere constat, atque alterum, qui mutuata pecunia agrum coëmit, ex ejusque fructibus commodum expectat? Consentit *Pufendorff. de J. N. & G. L. V. c. 7. §. II.* Ponamus, inquiens, Cajum esse instructum pecunia ad emendum fundum. Eundem Sejus cupit, sed à nummis destituitur. Rogatu itaque Seji Cajus emit fundum, eumque Sejo locat. Nemo negat, justum hunc esse contractum. At vero siquidem Cajus Sejo mutuo det pecuniam, ut eundem sibi emere possit, & quantum pensionis daturus fuerat pro locatione, tantundem det pro pecunia mutuo data, quid hic iniquitatis sit, non apparet. Huc etiam respexit *Tesm. in Not. ad Grot. L. II. c. XII. §. 20.* Pecunia sterilis est quatenus naturaliter nil fructuum profert: alias civiliter non est res sterilis; nam & genus & formam fortuna regina donat, imo pecunia nervus est bellorum *Liv. 5. 12. & Thucyd. 1. p. 45. 78.* & fundamentum Reipubl. *Evagr. 3. 42. p. m. 375.* Notum est Taciti illud *H. 4. 74.* neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi possunt. Quis ergo pecuniam sterilem dicat post tantos effectus? Sed ut sit res sterilis per humanam tamen industriam frugifera reddi potest. *Gell. 16. 12.* Fœnerator à fœnore est nominatus; fœnus autem dictum à fœtu, & quasi à fœtura quadam pecuniæ parientis atque incrementis. Nec jus Civile pecuniæ suas denegat accessiones. *L. 3. §. 4. D. de Contraria tutela;*